

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Bonum siue bonitas e
cum uariis

Aut ista bona non sunt que uocantur, aut homo felicior Deo est. Que enim nobis bona uidentur, non habet in usu Deus. Nec enim libido ad illum, nec epularum lauticia, nec opes. Incredibile autem est bona Deo deesse; hoc ipsum argumentum est bona non esse que Deo desunt. Adde quod multa que bona uidentur animalibus quam homini pleniora contingunt. Illa cibo auidius utuntur, uenere non eque fatigantur. Virium illis maior est firmitas; sequitur ut multo feliciora sunt homine. Nam sine nequicia, sine fraudibus degunt, fruuntur uoluptatibus sine ullo pudoris aut penitencie metu. Fallimur; bona illa sunt uera que ratio dat solida ac sempiterna que cadere non possunt nec decrescere. Cetera opinione bona sunt, hoc quidem habent commune cum ueris, proprietates uero boni in illis non est.

Idem LXXXV. epistola.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

Bonum siue bonitas e] Bonum siue bonitas d P V¹ V² L¹ L²; que *om.* M; auidius] auidus M; sunt] sint P V¹ V² L¹ L²; bona sunt] sunt *om.* (*cor. in marg.*) B; quidem] uero P V¹ V² L¹ L²; habent] habet C; commune] hoc *add. (del. intra)* M; idem] ibidem P V¹ V² L¹ L²; epistola *om.* B M